


I

215155A



243.
11.

Γ Ν Ω Μ Ḧ Σ
ΠΑΘΗΜΑΤΑ
MEDICO-PHYSICE
AGITATA,
A U S P I C E ^{Q U Ā E} D E O

Authoritate & Consensu Perillustrium, Ma-
gnificorum, Spectabilium, Prænobilium, Excel-
lentissimorum, & Clarissimorum Virorum &c. Reverendissimi,
Perillustris ac Magnifici Domini Universitatis RECTORIS, Perillustris,
Magnifici, Spectabilis & Excellentissimi Domini DECANI, Venerabilis
Domini Senioris, S. C. R. C. M. DD. Consiliariorum & Archiatrorum,
nec non DD. Professorum, adeoque totius Amplissimi DD. Medi-
corum Collegii

*IN CELEBERRIMA ET ANTIQUISSIMA
UNIVERSITATE VIENNENSI*

P R A E S I D E

Prænibili, Excellentissimo & Clarissimo Domino

P E T R O Q U A R I N

Philosophiæ & Medicinæ Doctore, ejusque in Theo-
reticis Professore publico & Ordinario

Exercitii gratiâ publicâ ventilationi exponit

M A R T I N U S A N T O N I U S F R E U N D T
D E W E Y E N B E R G ,

Austriacus Viennensis, Philos. Magister, Saluberrimæ Medici-
næ in tertium Annum Auditor.

Discutientur in publico DD. Med. Coll. horis pomeridianis consuetis Mense Mayo
Die 10. Anno M. DCC. XXXIV.

VIENNÆ AUSTRIÆ, typis Mariæ Theresiæ Voigtin Viduæ.

215155



PRÆFATIO.

Uemadmodum Philosophi in inquirendis rerum entitatibus causam primariò intendunt, utpote cùm nihil in hac rerum Universitate sub oculos cadat, quod non suam agnoscat causam, ita & Medici muneris est tam in sanitate conservanda, quàm ea amissa recuperanda causas indagare, quem enim latet dari effectum sine causa, cùm autem sanitas & morbus sint effectus, necessariò causis suis gaudere debent, hujus utpote veteri paræmiæ : scilicet

Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci.

minus congrui causas ad aliud forum pro hac vice remitto, studui enim benevole Lector! tibi propnere materiam, quæ, licet non omne punctum, saltem aliquam gustui tuo arridentem partem ferat, offert verò talis materia sese inter causas sanitatis, quæ modernis temporibus apud nonnullos est in magno abusu, hæc igitur nempe γνωμης παθηματα, utpote tam dulcedine, quàm utilitate, ne dicam necesse, commendabilis materia elucubranda est, quantæ enim morborum myriades ex horum abusu ortæ fuerint, & adhuc oriantur, quotidiana docet experientia, ne itaque diutius in limine hæream, sit



C A P U T I.

De Sanitate.

§. I.

Uia γνωμῆς παθήματα utpote quæ ad sanitatem conservandam multūm faciunt, in censuram veniunt, necesse est quædam de ipsa sanitate præmittere; consistit autem sanitas in partium fluidarum temperie & legitima secundūm minimas particulas mixtione, ac in solidarum debita conformatione, ut machina corporis nostri apta nata sit omnes functiones ritè exercendi.

§. II.

Ex qua descriptione patet ad perfectam sanitatem exigi integrām solidarum partium conformatiōnē in numero, figura, situ &c. & fluidarum secundūm minimas particulas proportionem & mixtione, quarum unā deficiente non habetur perfecta sanitas.

§. III.

Differt sanitas ratione ætatis, temperamenti, sexūs &c. quia verò de his in longum excurrere animus non est, cùm multa volumina & veteres & recentiores de hac materia nobis reliquerint, scopo nostro accedimus; quare sit

C A P U T II.

De γνωμῆς παθήμασι in genere.

§. I.

Anquam definitionem statuam, quædam de ætimologia nominum recensenda sunt, est enim γνῶμη vox Græca, & latine idem significat,

ficat, ac animus, Πάθημα verò pariter vox Græca latinè idem sonat, quod passio, consequenter γυωμῆς Παθήματα nihil aliud sunt, quam animi passiones, quibus præmissis sic

§. II.

ANimi passiones sunt perceptiones, sensationes, vel commotiones animi, quatenus animus aliquid appetit tanquam sibi conveniens, vel aliquid aversatur tanquam appetitui ejus contrarium; dicuntur 1. commotiones animi, quia animus in ipsis specialiter commovetur, dicuntur 2. ad animum referri, ut distinguantur ab iis, quæ ad objecta externa referuntur, v. g. odor, sonus &c., item ab iis, quæ solum corpus concernunt, ut sunt fames & sitis.

§. III.

HÆ passiones fiunt per spiritus, quatenus nempe horum circulus seu series & pressio adaugetur vel imminuitur, hincque ad bina capita hi motus referuntur, scilicet 1. dum animus quasi exultans sese erigit, adeoque spiritus animales in cerebro respectivè commoti irradiationis suæ sphæram ampliant, cumque tam uberi influxu præcordia exagitent, sanguis necessariò in omnes partes liberiùs diffunditur.

§. IV.

Secundò à contrario animus percussus per spiritus compressos ad intus diductus corpori minor apparet, quare à facultatibus animalibus operationes segniter exercentur, præcordia consueto spirituum influxu destituta penè concidunt, ac sanguis illic lentiùs circulatur; sunt præterea alii animi gestus, quibus ab æquali sua expansione descens corpori minùs congruus evadit, ubi primò potentia sensitiva speciem novam juxta impressiones conceptas affectans in suas partes cerebrum consciscit, deinde mox nervorum commeatu præcordia velut plectro quodam pro modulo suo determinat, ita ut juxta ideam conceptam sanguis, ejusque motus tanquam ad tripudii numeros componatur.

§. V.

Interim ut de causis in genere quædam dicamus, ex dictis patet animum sub statu quietis & motū considerandum esse, nempe quod sit instar maris tranquilli vel instar fluvii rapacissimi: prior status non solùm competit dormienti, sed etiam vigilanti, dum scilicet objectum tantum concipit, ita ut illi nequè quidquam boni nequè quidquam mali importet, posterior verò habetur, quando ex objecto concepto aliquid boni vel mali sibi imminere suspicatur, ubi primum totis viribus aquirere & possidere, alterum verò amovere studet; sicque sàpè non solùm spiritus animales & sanguinem cum humoribus, sed ipsas partes solidas animus in suum opus pertrahit, nam quamprimum aliquid amplectendum vel

aversandum animus concipit, mox spiritus cerebri incolæ in seriem ordinati appetitum formant, ac impressione ad præcordia transmissa sanguis variè agitatur, sicque motus respectivi elicuntur, à quibus γνωμής Παθήματα seu animi passiones omnino dependent.

§. VI.

Cæterū notandum 1. adhuc ut animi passiones seu γνωμής Παθήματα in ulteriorem veniant cognitionem, quod, prout homini imprimis propriè competunt, ita etiam objecti bonitas vel malitia ad hominem propriè pertinere debeat. Notandum 2. bona vel mala eidem homini evenire vel ratione objecti, vel subjecti, de illo alibi, quod verò hoc concernit, bona vel mala oblata respiciunt animum vel per se, vel prout animæ rationali subjectum, vel prout corpori conjunctum, sicque aliæ Physicæ, Metaphysicæ aliæ, & aliæ morales seu corporeæ audiunt; hinc sit

CAPUT III.

De Passionibus Physicis.

§. I.

Passiones Physicæ, quæ animum per se & prout ab alia quacunque relatione abstractum concernere videntur, sunt duæ; Sympathia, & Antipathia: Sympathia est alicujus in alterum propensio, nam præter formam & pulchritudinem objecti, cujus aspectu animus illaqueari solet, ita ut neglecta corporis curâ, & posthabito rationis dilectione amissæ suæ penitissimè adhæreat, etiam aliquando res minus pulchras, quas sanus quisque repudiet, velut fascino allectas animus captivas dicit, ut, quidam perditè amantes, licet videant meliora, probentque, tamen deteriora sequuntur; cujus ratio est, quod animus amicitias, quarum affectus haud concilii sunt, cum rebus quibusdam secretò ineat, ac eas firmiter colat.

§. II.

Antipathia est à contrario, quando objectum aliquod ceterum insons, & allis sat gratum animus abhorret; sic nonnullis fells præsentia, bufonis vel anguillæ aliis est inimica, nec tantum res visu aut odore perceptas aufugiunt, sed & cum eas latentes minimè suspicantur, à materia subtili talis animalis transpiratione inquinata spiritus variè commoven- tur, ita ut subin hypothimias & animi deliquia tales homines patientur.

CAPUT

CAPUT IV.

De Passionibus Metaphysicis.

Passiones Metaphysicæ (quæ animum prout animæ rationali subjœctum concernunt) sunt Resipiscientia , Amor DEI , peccati detestatio , spes salutis , vindictæ Divinæ metus , allæque similes ; contingunt autem , & afficiunt corpus eatenus , quatenus animæ rationalis , dum DEUM adorat , utraque pars (sensitiva nempe & flammea) secomprimit , & solitas emanationes cohibet , sicque nervorum operâ præcordia angustando sanguinis circulum remoratur ; quod verò reliquum est , cùm hæ passiones magis sint Divinæ , earum etiam ulteriore elucubrationem Theologis relinquo , & sit

CAPUT V.

De Passionibus Moralibus in genere.

§. I.

Passiones morales sunt functiones animi ut corpori conjuncti , in quantum animus aliquid sub imagine corporea appetit tanquam siibi quæ corpori coniuncto proprium , vel aliquid aversatur tanquam contrarium . Dicuntur 1. functiones animi ut corpori conjuncti , ad hoc ut differant à Physicis & Metaphysicis supra expositis passionibus . Dicuntur 2. Morales seu corporeæ , quia animus sæpius afficitur ratione sui subjecti seu corporis : licet enim in se contineat proprios amores & aversiones , & licet animæ rationali subjiciat , quia tamen corpori conjugali quasi fædere unitur , hinc relationibus aliis posthabitatis hoc unicè colit , & ob res corpori secundè vel adversè evenientes variè affici solet .

§. II.

HArum passionum numerus varius est , nam aliqui dividunt appetitum sensitivum (huic etenim has passiones proprias adjudicant) inconcupiscibilem & irascibilem ; illique sex scilicet Amorem , Odium , Gaudium , Tristitiam , Desiderium & Fugam , huic verò quinquæ attribuunt , quas etiam vehementioris indolis esse docent , & sunt Spes , Desperatio , Audacia , Timor , & Ira , harum passionum fontes sunt juxta Aristotelem 2. Ethic. cap. 3. Voluptas & Dolor ; sed quām inconclusa sit hæc divisio , pluribus patet argumentis ; nam primò odium male ad appetitum concupiscibilem , spes verò vicissim male ad irascibilem revocatur ; secundò affectus quidam nobiliores , majorisque indagationis , ut sunt Zelotypia , Admiratio , Invidia &c. prorsus omittuntur .

§. III.

§. III.

A Lile contra cum Cartesio dividunt in primitivas & secundarias, primitivas statuunt Amorem, Odium, Gaudium, Tristitiam, Fugam, Desiderium, & Admirationem; reliquas verò scilicet Zelotypiam, Spem, Desperationem, Audaciam, Terrorem, Timorem, Iram, Indignationem, Invidiam, Misericordiam, Pudorem, Libidinem, Consternationem, Gloriationem, & Imaginationem ad secundarias remittunt, his tamen omnibus duas anteponunt, videlicet Voluptatem & Dolorem, ex quibus tanquam ex fontibus omnium primitis reliquas scaturiginem suam habere judicant, cuius ingeniosi Authoris opinioni & meam subscribo.

§. IV.

A Ntequam de dictis passionibus separatim agam, notandum est primò duplarem esse finem harum passionum, immediatum & remotum; ille est adeptio boni & absentia mali; hic verò conservatio animalis, qui finis tamdiu intenditur, quamdiu hæc in debita mensura & proportione manent, nam quamprimum excedunt, morborum imò mortis ipsius sanguis prodromi sunt, cùm non solum spiritus turbentur, & vel in adaucta, aut in diminuta & non sufficienti copia influunt, sed & ipse sanguis in suo circulo jam adaugeatur nimis, nunc retardatur, vel stagnat, cuius exemplum habere est v. g. in excessivo amore, qui non paucis maniam induxit ob spirituum influxum, & sanguinis circulum adauctum; & vicissim in excessiva tristitia, quæ non solum spasmorum & morborum acutorum sed etiam chronicorum causa in suis cultoribus fuit ob debitum spirituum influxum turbatum, vel planè denegatum, hincque stasis sanguinis vel faltem retardatus circulus originem suam trahit; plura qui scire cupit, videat Cl. D. Thomam Willis Tract. de anima cap. VIII. pag. LXVII.

§. V.

N Otandum secundò passiones has naturaliter loquendo bonas esse, nisi forsitan quædam suâ nimia violentia laderet temperamenta; simpliciter verò loquendo nec esse de se bonas nec malas, sic enim, si ira subiacet imperio rationis & voluntatis libertati, ac ad adstringenda in aliis vitia adhibetur, bona est juxta illud psalmi: *Irascimini, & nolite peccare*, sin econtra exeritur ad vindictam adversario inferendam, mala est, consequenter per se spectata hæc passio ad utrumque indifferens est.

§. VI.

N Otandum tertio ad ulteriore cognitionem voluptatem seu 'Hedonam' consistere in spiritibus, dum hi ob res aliquas secundas in majori copia influunt, sicutque præcordia & reliquias partes exagitando sanguinis & humorum circulum adaugent; Dolor verò seu 'Odium' est spirituum in reliquias partes ob res minus secundas denegata pressio & elasticitas, unde etiam sanguinis & humorum circulus lentescit.

Quæ-

Quæres 1. quid sint Spiritus? R. Spiritus esse corpora subtilissima maximeque mobilia materiâ cœlesti admodum turgida proximum animæ in obœundis functionibus instrumentum.

Quæres 2. unde generentur Spiritus? R. Eos generari ex massa sanguinea particulis volatilibus dulcibus & elasticis activis tam ex chylo quam respiratione transumptis turgida.

Q. 3. qualiter generentur Spiritus? R. Spiritus generari separatio-
tione, sive potius transcolatione, ad quam actionem particulæ quædam suo genere fermentativæ concurrunt.

Q. 4. quale sit incunabulum, receptaculum, & promptuarium Spi-
rituum? R. Incunabulum Spirituum esse substantiam cerebri cortica-
lem, receptaculum substantiam medullarem interiorem, promptuarium
verò medullam oblongatam, & spinalem, omnium nervorum scaturiginé.

Q. 5. quales proprietates Spiritus habeant? R. 1. ut sint mobiles,
qui motus duplex est intrinsecus & extrinsecus; 2. ut sint lucidi, sed tali
luce lucent, quali in tenebris cicendulæ & certi quidam vermes, si enim
fortiori luce donati essent, adjunctum simul haberent ingentem calorem.

Q. 6. an Spiritus in omnibus partibus sint lucidi? R. Affirmative,
quod autem non in omnibus locis hanc lucem percipiamus, est ob stru-
cturam, nam quod priores sunt, eò lucidiores etiam erunt, quod clarè
patet ex æconomia animalis muniis rite procedentibus; quodsi verò
aliqua de causa fatiscentes ab illuminatione cessent, mox tenebræ obori-
untur melancholicæ &c.

CAPUT VI.

De Passionibus Moralibus in specie, & quidem de primitivis.

§. I.

Licet passiones primitivæ strictè loquendo sint illæ, quæ nulli alii pas-
sioni ortum suum debent, quia tamen hæ ab aliis ut fontibus omni-
um primis originem suam trahunt, hinc videtur illis hoc nomen
competere eatenus, quatenus reliquæ ab istis dependent, consequenter
relativè, in quantum sunt primitivæ respectu reliquarum, non autem
sunt primitivæ respectu voluptatis & doloris.

§. II.

Dividuntur in duas classes, quia quædam voluntatem, quædam verò
dolorem conjunctum habent, primæ classis sunt Amor, Gaudium,
& Desiderium, secundæ classis Odiū, Tristitia, & Fuga. Admiratio
autem ab utraque passione scilicet voluptate & dolore participat.

§. III.

Est autem Amor seu Ἔρως (ut à mitiori exordium faciam) passio animi, qua sese affectu conjungit cum objecto, quod apprehendit sibi conveniens. In hoc affectu, si non nimis excedat, aut intermisceatur alia passio, observatur rubor faciei, pulsus frequens & robustus, ciborum appetitus plerumque viget, ac passim omnes actiones naturales conformiter peraguntur, hinc patet in hoc affectu Spiritus abundantius influere in nervos parvis vagi, aliosque dictis functionibus appropriatos; hæc passio quantæ utilitatis sit, si limites non excedat, omnibus comprehendetur; omnia etenim vivificat, dependet à voluptate.

§. IV.

AMORI opponitur Odium Græcè Μίσος dictum, quod est passio, qua animus sese affectu removet ab objecto, quod apprehendit sibi inconveniens, hinc animus objectum, quod odio persequitur, amovere, & destruere studet, in hoc affectu observatur calor debilis, pulsus parvus, pallor faciei, & similia, quæ omnia sanguinis & spirituum motum & pressionem ad extra languore satis demonstrant, hic affectus licet non paucis scateat periculis, non tamen omni encomio, si moderatus, spoliandus est, connexum habet dolorem, quia spirituum influxus imminentur, & circulatio sanguinis retardatur.

§. V.

HAS excipit Gaudium Græcè Εὐθεσύνη, quod est passio, qua animus sese affectu conjungit cum objecto præsenti ut bono, in illiusque fructione quiescit & delectatur; unde si quis aliqua bona ut proprietarius possidet, & hac passione non movetur, hæc possessio est tantum materialis, nec obstat nos aliquando latari de bono alterius, quia apprehendimus illud ut nostrum, si simplex sit, & leges non excedat, pulsus est benignus, & motus spirituum moderatus, dependet à voluptate.

§. VI.

GAUDIO contrariatur Tristitia Græcè Λύπη; & est passio animi, qua ipse contrastatur ob malum præsens; hæc passio, quot non scatent malis, neminem ignorare persuasus sum, hoc in affectu corpus palitet, pulsus est debilis, spirituum influxus lanquet, quam in rem optimè scripsit Fernelius lib. de passionibus animi cap. de Tristitia pag. 383. Hic affectus marcorem aliosque morbos frigidos dictos inducit juxta illud Prov. 17. *Tristis animus exsiccat ossa;* Connectitur huic affectui dolor, eò quod spirituum influxus & sanguinis circulus imminuat.

§. VII.

§. VII.

DEsiderium seu *Em̄dysia* est passio animi , qua affectat rem habere præsentem , versatur circa rem consideratam ut bonam , & quidem absentem ; in desiderio facies magis , quam reliquæ partes rubent , pulsus est robustus & solitò vehementior , appetitus ciborum viget , connectitur voluptati , quia hac in passione spirituum influxus promovetur , & sanguinis circulatio magis urget.

§. VIII.

Fuga seu *Φυγὴ* est passio animi , qua studet rem habere absentem ; versatur circa rem consideratam ut malam , & quidem , quam putat esse præsentem , in fuga facies pallet , pulsus est parvus & debilis , appetitus ciborum lanquet , connectitur dolori , quia hac in passione influxus & elàsticitas spirituum minuitur , motusque sanguinis minus urget.

§. IX.

Admiratio seu *Θαύμα* est passio animi , qua fertur in attentam considerationem objecti , hoc affectu raro tanguntur ii , qui rerum naturas & eventus perscrutantur , econtra illosq; , qui , licet non habeant multarum rerum peritiam , sciunt tamen differentiam inter objecta ; hic affectus connectitur voluptati & dolori , quia jam spirituum influxus & sanguinis circulus promovet , hinc facies rubet , & est pulsus frequens ; jam verò corpus perstat quasi immobile , eò quod spiritus ob considerationem nimis attentam objecti in influxu suo eandem determinationem servent , unde facies pallet , pulsus est debilis & parvus à minori sanguinali motu .

CAPUT VII.

De Secundariis.

§. I.

PErtractatis primitivis pertractandæ veniunt secundariae , sortitæ sunt hoc nomen etenus , quatenus ab aliis dependent , & sunt Zelotypia , Spes , Desperatio , Audacia , Terror , Timor , Ira , Indignatio , Invidia , Misericordia , Libido , Pudor , Consternatio , Gloriatio , & Imaginatio . Habent hæc omnes conjunctam voluntatem vel dolorem , hincque in tres classes dividuntur , nam aliquæ habent connexionem voluntatem , alia dolorem , alia verò utramque simul complectuntur , primæ classis sunt Spes , Audacia , Libido , Gloriatio , & Imaginatio ; Secundæ classis Desperatio , Terror , Timor , Pudor & Consternatio ; Tertiæ classis numerantur Zelotypia , Ira , Indignatio , Invidia , & Misericordia .

§. II.

Zelotypia seu Ζήλωσις est passio animi, qua correptus pati nequit, ut alius cum fæmina, quam sibi propriam vult, conversetur, hinc etiam sèpè varias sibi format ideas & suspicione non raro faltas, quod etiam vice versa in fæminis accidit; hoc in affectu ab initio facies pallet, pulsus est parvus & debilis ob præpeditum spirituum influxum & sanguinis circulationem imminutam, mox autem facies ruborem induit, pulsus fit frequens & robustus, ac solitò vehementior ob humorum motum adauctum; conflatur ex amore nimio erga aliquam personam, hinc dein odio habet, & tolerare nequit conversationem cum alio ob suspicionem, quam præconcepit, quare etiam non raro vindictam querere secum statuit, quantus sanitatis hostis sit, neminem latebit; refert etiam Mart. Akakia in Gal. art. parv. pag. 189. Exemplum pistoris, qui sibi testes amputavit, ne uxor, quam frustra de adulterio suspectam habuit, si conciperet, ex se concepisse indicare posset.

§. III.

SPES seu Ἐλπίς est passio animi, qua affectu animus erigitur ad aqui- rendum bonum, quod apprehendit quà tale obtentu quidem diffi- cile, sed tamen possibile; hic facies aliquali rubore perfunditur, pulsus est acceleratus & robustus, ob majorem spirituum influxum & sanguinis circulationem promotam, conflatur ex amore & gaudio.

§. IV.

DEsperatio seu Ἀποελπία contrarius & horrendus ille affectus est passio animi, qua affectu erigitur ad rem, quam comprehen- dit quidem ut bonam sed obtentu impossibilem; facies pallet, pulsus est tardus & debilis, omnes actiones lanquent, si connectitur Dolori & Tristitia, quia spiritus non influunt, & circulatio sanguinis retar- datur; si vero connectitur Iræ & Indignationi, facies rubet, & pul- sus est robustus nec non celer; sanitati vel maximè obest.

§. V.

Audacia seu Τόλπη est passio, qua animus erigitur ad superandas spennendas difficultates, quas apprehendit in aquisitione boni; hæc nihil aliud esse videtur, quà spes conjuncta cum contemptione periculi, quod se in bono obtinendo offert; quo in affectu facies ru- bet, torva est ac crudelis, pulsus solitò vehementior ac celerior ob humorum adauctam turgescentiam & motum, hinc etiam major ob- servatur vigor ad actiones peragendas, & licet eadem fermè cum ira pa-

patiatur & inducat symptomata, modica tamen Audacia reddit homines sanos, vegetos, imò ad omnia aptos.

§. VI.

Terror seu Φόβος est passio, qua animus judicat ex re comprehensa sub ratione mali praesentis corpori damnum inferri; unde spirituum pressio ad extra minultur, solida magis lanquent, hinc palpitationem ac motum convulsivum cordi inducunt, pulsus est debilis & frequens, sanguinis cum majori impetu ad cor & pulmones refluxus, unde anxietas praecordiorum, respiratio difficilis, corporis partes externæ pallent, venæ detumescunt, & vel nullæ vel exiguae apparent &c.

§. VII.

Timor græcè Θεία est passio, qua animus judicat ex re comprehensa sub ratione mali imminentis corpus pati, hoc in affectu facies & partes pallent, vox saepius interrumpitur, pulsus est tremulus & frequens &c: quoniam spirituum series minus æqualiter ad extra premitur, & fluctuantes quasi spiritus in solidorum laxiores aliquantum factas fibras tortuosè vel ex parte mancè impetunt, unde & reliquorum humorum compages in tantum satiscit.

§. VIII.

Ira seu Οργὴ est passio animi, qua illud, quod apprehendit malum seu damnum corpori intulisse, omni conamine amovere, & saepè etiam vindictam sumere studet; in hac partes solidæ tremunt, respiratio est adaucta, pulsus solito vehementior, oculi scintillant, facies flammae, os rubet, dentes strident, vox interrumpitur &c. quod Pergamenus confirmat *l. 2. de caus. sympt. Cap. 5.* in ira & spiritus & sanguis modò interiorem plus solito viscerum compagem occupant, modò foras magis expanduntur, hic affectus sanitati inimicus est, ob nimium enim ad extra spirituum & sanguinis motum (quem talem esse testatur *Hildanus obs. 18. cent. 1.*) secretiones accelerantur nimis, hinc bilis largius secreta fermentando cum reliquis succis, diarrhæas, vomitus, mensium fluxus &c. inducit; observamus etiam non raro in plethorici apoplexiā sanguineam ex eadem concitazione securam fuisse.

Q. an ira pallientium magis sit nociva, quam eorum, qui mox ruborem induunt? R. problematicè: licet enim testetur Cartesius Tr. de animi passionibus art. 200. pag. LXX. pallientium iram magis nocivam esse, ex altera tamen parte obstat, quod iste pallor provenire

Possit ex honestate, quia videlicet conantur reprimere suas passiones, ipsosque pudet se ab iis exagitari.

§. IX.

Indignatio seu Ἀγανάρνης est displicantia in affectu sensitivo orta ex eo, quod apprehendamus alicui immerenti bonum vel malum obvenisse; est affectus conflatus vel ex odio & ira, vel ex amore (si nempe cuivis, quem amamus, ut immerenti malum obvenit, hinc etiam compatimur illi) & ira, quatenus hac corripimur adversus eum, qui hoc malum intulit, unde facies rubet, pulsus est vehemens, strident dentes, manus conquatiuntur, pulsatur pedibus terra &c. ob irregularē & indomitū quasi spirituum motum.

§. X.

Invidia Φθόνος fædus ille affectus patheticus est passio animi, qua ista contristatur de bono alterius; facies pallidus, pulsus est tardus, adest præcordiorum anxietas, respiratio difficulter ob leviorē & minus elasticum spirituum influxum & retardatum sanguinis circulum, quanta alat mala, cuivis patet, hinc varia etiam habentur proverbia, quibus tamen præferendus poëta canens:

*Livor tabificum malis venenum
Intactis vorat ossibus medullas,
Et totum babit artibus cruorem,
Quod quisquis fuerit, invidetque sorti,
Ut debet, sibi pena semper ipsi est.*

§. XI.

Misericordia Ελεος græcè dicta est passio animi, qua contristatur & compatitur alteri ob malum ipsi illatum; hic affectus, si leges non excedit, cuivis conveniens est, si vero leges excesserit, gravissimorum symptomatum fons & origo est, pulsus enim lanquet & est tardus, facies pallidus, & tales homines ad omnes actiones segnes evadunt, ob spiritus in non sufficienti copia & elasticitate influentes, hinc sanguis suum circulum non servat, sed magis accumulatur in corde, cum effluxus in tantum sit retardatus, unde etiam non raro respiratio difficilior redditur, conflatur ex amore & tristitia.

§. XII.

Libido seu Ἀσελγεια est passio, qua animus commercium venereum appetit; sanguis ebullit, hinc pulsus solito vehementior, medullæ

dulleæ æstuant, oculi flagrant, genitalia inflantur, & (nī ratio & honestas subin obstaret) ad quosvis actus venereoꝝ mox animus pronus esset, hinc patet, quām gravium symptomatum causa sit; conflatur ex amore, gaudio, & desiderio erga aliquod objectum.

§. XIII.

PUDOR seu *Aἰδώς* est passio, qua animus metuit vituperium cum aliis quali tristitia; facies plerumque rubore solet, pulsus est inordinatus, pudibundus modò tristatur, modò sibi ipsi quasi irascitur; conflatur ex tristitia & ira; pudor aliquis honestatis ceterū signum est, hinc eos, qui citò erubescunt, vulgus bonæ notæ esse censet.

§. XIV.

GLORIATIO græcè *Καύκνυα* est passio, qua animus lætatur, & gaudent in apprehensione laudis; pulsus solet esse major, ad omnes actiones sunt promptiores quia spiritus in majori copia & elasticitate influunt, sanguinisque circulus est vivacior, conflatur ex amore & gaudio.

§. XV.

CONSTERNATIO "Ἐκπληξίς" græcè dicta est passio, qua animus stupet ex apprehensione mali imminentis; facies pallit, pulsus retardatur, ad actiones evadunt tardiores ob lendum minus expansivum spirituum influxum, hinc sanguinis spissitudo quædam, conflatur ex tristitia & timore.

§. XVI.

IMAGINATIO seu *Φαντασία* est passio, quando animus aliquid sub ratione boni vel mali, præsentis vel futuri apprehendit, quantam vim habeat in corpus, experientia testatur, hæc diversissimorum malorum prodromus est, sic pestem excitari posse ex imaginatione Helmontius lib. de peste pag. 232. tradit; fætus nævo ex imaginatione matris notatos conspicere licet, hac in passione spiritus magis ad unam partem agunt, inæqualiterque humores premuntur.

Q. an omnes omnibus passionibus æquè obnoxii sint? R. negativè: quia non omnes idem objectum sub eadem ratione apprehendunt.

§. Ultimus.

Finimus itaque has patheticas affectiones, & theses nostras in ideis delectantibus, & illi rependimus grates debitas, cui soli sit

Honor & Gloria.



UB Wien



+AM525612707

